

Leone, ut 22. Ptolemæi uerbum admonet, nisi ubi paludamentum, aut arma pro bello induere uelimus, maxime cum Luna cum Marte in beneuola radiatione fuerit. Fixa uero tametsi prohibeantur, tamen Taurus non usq; adeo timendus est, ea gratia, quòd domus Veneris est, & Lunæ exaltatio.

Possessiones hæreditarias, & dignitatum inuestituras, aut officia subire, aut de una domo in aliam opportuno se tempore transferre. Canon XV.



Tempus ad hæreditarias possessiones obtinendas, illud est, in quo quarta domus & eius dominus sunt salui, & fortunatorū radijs illustrati. Luna non impedita in domo uel exaltatione sua, aut in medio cœli constituta, aspiciendo dominum ascendentis aspectu beneuolo. Præterea quarta domus signis fixis firmata & angulorū domini Orientales esse debent. In uniuersum autem prospiciendum est, ut fortunæ in angulis quarta præsertim & ascendente, dignitates habeant, luminaribus eadem loca beneuolis radijs aspicientibus. Ad hæc uerbum Ptolemæi 84. diligenter consideretur, ubi dicit: Mars cum est dominus ascendentis tempore captæ possessionis, præestq; secundo loco, aut copulatur domino secundi, multum damni afferet. Pro inuestitura autē dignitatum & officiorum subeundorum, loca luminarium ne sint impedita à malis radiationibus, diligenter obseruanda sunt, fortunis directis in ascendente uel medio cœli existentibus. Optimum autem ut Iupiter in ascendente, & in medio cœli Sol existat. Quòd si contingeret, ut infortunæ fortiores essent fortunis, tunc cum infortunis eo modo agendum erit, quemadmodum de fortunis dictum est, tamen cum moderamine, & nihil oberunt. Sed afflictio undecimi (ut Ptolemæus refert 39 uerbo) in intronisatione Regis uel Principis detrimentum significat, & domesticorum eius & pecuniarum. Secundi autem loci afflictio ouilis eius detrimentum significat. Nulla uero militaris dignitas obeunda est, nisi Marte foeliciter cum prioribus significatoribus, radiante, & in bono loco figuræ constituto. Sciendum autem, dignitatis successum talem esse, qualis fortitudo aut debilitas significatorum in natiuitate suscipientis dignitatem. De una uero domo in aliam si migrare quis uolet, is curabit ut ascendens septima & Luna crescente lumine sint munda, & quòd Luna fortunis applicet, ita ut fortuna uel in ascendente sit, uel in quarta. Multum autem proderit, si domus secunda cum eius domino salua fuerit, domino tamen supra terrā, Luna uero aut in tertia, quinta, aut undecima existēte, in signo aliquo fixo, mobili, aut communi, pro ut longius quis aut tardius manere eo in loco uoluerit. Est & quarta domus diligenter obseruanda. Nam si ab infortunis salua erit, & idoneis signis in ea cōstitutis, optimum erit. Inter omnia autem signa Scorpius cauendus est.

Struendis ædificijs fundamenta iacere.
Canon XVI.



Quocunq; loco quis ædificaturus est, signum & dominū eius loci, regionis aut ciuitatis obseruabit, nec curabit an fortunæ sint nec ne. In operis igitur initio, planetam eius loci dominum applicabis ad Iouem, ut si fieri potest, ei coniungatur, aut foelicibus radijs illustretur. Eodem domino